

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Liturgische Sammelhandschrift (Sacramentarium Rhenaugiense) - Cod. St. Blasien 28**

**[St. Blasien], [2. Hälfte 18. Jahrh.]**

Nachträge zum Sakramentar(ediert von Hänggi und Schönherr)

[urn:nbn:de:bsz:31-49176](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-49176)

## Missa pro Salute Vivorum.

**B**eatorum Apostolorum, Martyrum et Confessorum vel Virginum, omniumque Sanctorum, quaesumus Domine intercessionibus nos protege, et famulis vel famulabus tuis, quorum Commemoracionem agimus, misericordiam tuam ubique prebende, ut ab omnibus impugnationibus defensi opitulatione salventur, et animas famulorum vel famularumque tuarum, quorum Nomina ante Sancto Altare tuum Scripta adesse videntur, quorum Nomina et numerum tu Solus Dominus cognoscis, cunctorum tribue remissionem peccatorum, et indulgentiam optaverunt pijs supplicationibus consequantur. Per.

## Super Oblata.

**O**blationes nostras, quaesumus Domine, propicius intende, quam Tibi offerimus in honore sanctorum Apostolorum, Martyrum et Confessorum, vel Virginum tuarum, quorum festa celebrantur ad incolomitatem famulorum vel famularumque tuarum, quorum Nomina et numerum tu Solus Dominus cognoscis, ut sacrificium presentis oblationis ad refrigerium animarum eorum te miserante perveniat. Per.

## Confessio.

**D**eus, Te laudare et benedicere in mirabilibus tuis et in Confessione Sanctorum Apostolorum, Martyrum et Confessorum, vel, Virginum tuarum, vel quorum hodie festa celebrantur, petimus immensam Clemeniam tuam,

tuam, ut delictorum nostrorum veniam consequi mereamus, et famulos vel famulas tuas, qui nobis Elemosinas suas condonaverunt, tam vivis quam et defunctis mereantur ab omnibus absolvi peccatis, et inter Electos tuos percipere Convivium. Per.

**H**anc igitur Oblationem Domine, quam Tibi offerimus in honore Sanctorum Apostolorum, Martyrum et Confessorum, vel, Virginum tuarum, vel, quorum Natalicia celebramus, vel pro famulis, vel famulis tuis, quorum Commemorationem agimus, et pro animabus famulorum, vel, famularumque tuarum, quorum Nomina ante Sanctum Altare tuum scripta adesse videntur, quesumus Domine, dignanter suscipias, et tua pietate concede, ut consecuti tue gratie dignitatem eterne vite percipias <sup>ant</sup> portionem, Diesque nostros -

### Ad Communionem.

**S**acramenta quae sumpsimus Domine per intercessionem Sanctorum Apostolorum, Martyrum et Confessorum, vel, Virginum tuarum, quorum Natalicia celebramus, nobis proficiant ad salutem, et famulis vel famulis tuis, quorum Commemorationem agimus, Tribue refrigerium sempiternum, quibus donasti baptismum Sacramenti, in regione Sanctorum jubeas dare consortium et plenitudinem gaudiorum. Per. Dñm.

### † Benedictio Super Ramos Palmarum.

**B**one Redemptor Noster Domine, qui ad passionem redemptionis nostrae Spontaneus adpropinquas cum Tibi Ramis arboreis certatim sternitur via, et triumphatricibus

phatricibus palmis cum voce laudis occurritur, qua-  
sumus Majestatem Tuam divinam, ut oris nostri Con-  
fessionem atque corporis in jejuniij humiliatione libens  
suscipias, et fructum nostrae viriditatis habere conce-  
das, ut sicut illi in tui fuerunt obviam cum arboreis  
virgis egressi, ita nos te redeunte in Secundo adventu  
cum palmis victoriae mereamur occurrere leti.  
Per Dominum.

*In Vigil. In Nat. DNI. ad Horam Nonam.*

**D**eus, qui nos redemptionis nostrae annua expecta-  
tione letificas, Praesta, ut unigenitum tuum, quem  
redemptorem leti suscipimus, venientem quoque Judicem  
Securi videamus, Dominum nostrum Jesum Christum  
filium tuum, Qui.

**D**a nobis omnipotens Deus, ut sicut adoranda filij  
tui Natalicia, quae presentibus sacrificijs provenimus,  
sic ejus munera capiamus sempiterna gaudentes. Per  
Eundem Dominum nostrum.

**D**a nobis Domine, ut Nativitatis Domini nostri  
Jesu Christi Solemnia, quae presentibus sacrificijs pre-  
venimus, sic nova sint nobis, ut continuata perma-  
neant, sic perpetua perseverent, ut pro suo miraculo  
nova semper existant. Per Eundem Dominum nostrum  
Jesum Christum filium tuum, cum quo vivis et regnas.

**T**anto nos Domine quasumus prumptiori servitio hujus  
Sacrificij precurrere concede Solemnia, quanto Con-  
stare principium nostrae redemptionis ostendis. Per.

*Con-*